



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

IV. De vitijs Religioni contrarijs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

recitante percipi non possit. Sed cum *Suario* & aliis contra-  
Suar.  
nam asserui.

27. *Quid de musica?* Vsum laudo Organi reliquorumque  
instrumentorum? At tamen moneo verum ab Organo, aut  
aliis instrumentis celebratum humana submissa voce sup-  
pleri debere.

CAPVT IV.

*Quinam recitare teneantur.*

28. **A**D quosnam pertinet Horas in Choro recitare? Per se  
ad Ecclesiasticas personas, queis aliæ haud Ordine  
ullo decoratæ adiici possunt. Spectat item ad Regulares di-  
uerso quidem titulo, quorum non omnes Choro addicuntur,  
multi enim aut grauioribus salutis animarum, aut inferiori-  
bus temporariis ministeriis curam impendunt. Porro accu-  
ratiùs Choro deputandi hi Ordines, quibus prædicandi **cura**  
non impendet.

29. *An præceptum extet Horas in Choro recitandi?* Eccle-  
sia Cathedralis, ac Collegiata præcepto tenentur; secus Pa-  
rochiales, & inferiores. Porro Regulares iuxta instituta aut  
tenentur, aut liberantur. Grauis planè obligatio hæc res-  
pectu communitatis. Episcopi & Prælati hac lege minimè ad-  
stringuntur. Regularium qui Choro addicuntur possunt sub  
mortali à constitutione obligari. Canonici Choro interessentes  
grauius non delinquant, sed distributionibus quotidiana  
nis prouentur. Horæ denique Templis huic dicatis mini-  
sterio recitanda.

30. *Quinam extra Chorum priuatim recitare Horas te-  
neantur?* Tribus modis potest quis ad priuatam recitationem  
teneri. Primò ex sacro Ordine, obligatio quidem iure Cano-  
nico exorta, quæ non ligat minoribus Ordinibus initiatos.  
Secundò ex professione Regulari, obligatio à iure consuetu-  
dinis orta non respectu omnium, sed eorum qui Choro de-  
putantur, cuius ommissio ex genere suo mortalis est. Tertiò ex  
Ecclesiastico Beneficio vnico aut multiplici, obligatio, quæ  
non ligat duplici Beneficio fruente, bis aut sæpius quotidie  
recitare. Nec obligat ad semel recitandum titulus sine pos-  
sessione, multò minùs si lite implicatur. Obligat tamen pos-  
sessio cum spe moraliter certa fructuum percipiendorum.  
Item non obligat titulus sine administratione; sed qui volun-

R x 4      rariè

tariè fructus non percepisset, teneretur; secus qui ob ad-  
rius violentiam, aut potentiam fructus non perciperet, nisi  
spes certa recuperandi adesset.

31. *An teneantur recitare Canonici, qui ex Ecclesia sua  
consuetudine unico, aut duplici anno fructibus non fruuntur?*  
Probabile arbitror non teneri; probabilius cum Suzzani  
contrarium affirmo; quia voluntariè illi huic oneri subi-  
ciuntur.

32. *Qui fructus percipit stipendij loco ob docendam Gram-  
maticam, tenetur ne recitare? Minimè.*

33. *An teneatur qui fruatur pensione ob secularia obsequia?*  
Non teneretur, secus qui Clericali titulo; debet enim paruum  
Deiparæ Officium recitare.

34. *An qui Prestimonio, aut Capellania collatiua fungitur?*  
Ita quidem, secus si collatiua non sit; tunc enim Beneficium  
non est.

35. *Num qui integrè Beneficium commendatum habet  
Recitare debet, sicut qui manuale Beneficium obtinet, dum  
possidet.*

36. *An Coadiutor? Non teneretur recitare, si non admini-  
strat; quia obligatio illa proprietarium tenet.*

37. *Num possit ab huiusmodi obligatione Beneficij tenuitate  
excusare? Si fructus tertiam congruæ sustentationis por-  
tionem non implent, v. g. quantitatem vigintiquinque ducato-  
rum, Beneficiarius excusatur, quia ius non exigit laborem  
ab eo, qui stipendium non suscipit. Attamen huiusmodi  
Clericum monerem saltem solemnioribus diebus, licet non  
teneatur, ob perceptam sustentationis portionem ingenue  
recitare.*

## CAPVT V.

### *Quodnam recitandum Officium?*

38. *Quodnam Officium sit recitandum? Ex antiquo com-  
muni iure Clerici tenebantur, priuatim Officium  
recitare iuxta Breuiarium sua in diocesi approbatum. Ex iu-  
re autem nouo Pij V. iuxta Bullæ eius præscriptum recitare  
debent.*

39. *An delinquat qui vnum Officium pro altero recitat?*  
Venialiter tantum peccare assero, qui id agit, modò Offi-  
cium Paschatis & Pentecostes non sit, quoad Matutinum  
nec